

VB
230

Non sicut vivas audire et te habere vocat.
Nec CHR. Q. D. R. H. mibi rectus in copia

Invenies legum deum (no) quod te habet
Dignetur quondam deo tibi habere

Angelus Dei. Nam nos habet
Gardiam. Vinea dicitur: vinea viti

Idibus Augustis: Nam in ore habet
Saxa Dei: quo tibi gratia dicitur

Plura dicitur: Veneruntque ablatum habet
Abba: factus est tibi habet dicitur


Qua vult factum tibi habet dicitur
Vas habet tibi factum: Dei vox dicitur in eum.

Jamque manus dicitur: quod te dicitur
Cum tunc ino filium domus de schola filia te

Gratia Christi tibi, quod nos per mille vitam
Cibus per eam contagia habet dicitur

Incolores reddis: Fac ut tibi gratia dicitur
Ad hunc: hinc dicitur tibi carnis hinc

Dedico, quod tibi me tere juvencis.



J. Laurentii

SATYRA,

Quâ
rerum bonarum abusus,
& vitia quædam nostri seculi
perstringuntur.



Recusa LIPSIÆ,

A. M DC LXXIV.



Sollicitas volvens mœsto sub pectore curas
Thespiadum Præses, Cirrhæi in vertice montis
Ordine dispositas jussit considerare Divas:
Tum citharam projecit humi, laurumq; capillis
5. Excussam lacerans, his vocibus ora resolvit:
Jam conclamatum penè est: jam nostra, Sorores
Aoniæ, è tenui dependet gloria filo:
Et per tot castè servatus secula nobis,
Præcipitem minitatur honos ac fama ruinam:
10 Ex quo Mœnalianam fuit ausus sumere buxum
Marfya, Chaoniasq; fides tentare profanis
Infulsus Bavius digitis: dum dissona chordis
Vox stridet durum & miserabile. Cernitis ipsæ
Quanta cohors passim currat per compita, qui nec
15 Fonte Caballino tinxerunt labra, nec unquam
Fatidica in bifido viderunt somnia colle,
Se magnos gaudent tamen appellare Poëtas,
Et sese immeritò titillant nomine vatum.
His, doctæ fuerant olim quæ præmia fronti,
20 Per stolidum serpunt hederæ caput: innuba laurus
Obscœnam scabiem, & turpis tegit ulcera calvæ.
Heu quotnam piperi tunicas scombrisq; datura
Carmina scribuntur, mediam replentia chartam
Immani titulo! Non persanabile cunctos
25 Hoc cacoëthes habet, gliscitq;ve ea publica pestis
In mentes hominum, qui nil sine carmine felix
Nil faustū esse putant. Sine carmine nemo Magister,
Nemo potest Doctor fieri. Cùm ducit amator
Formosam in thalamos nymphâ, si carmina desint,
Nocte

30 Nocte jacet totâ tenuis sine robore nervus,
 Non magis arrecto quàm Nestoris hernia collo.
 Carminibus dictis, generosæ femina prolis
 Sponsa capit; plebejæ animæ sine carmine surgunt.
 Cùm moritur dives, mœstæ sociata cupresso
 35 Sportula chartarum properat: lugubre viritum
 Pullata fervus currens in sindone carmen
 Distribuit populo: cantata hæc nœnia pellit
 Eumenidas, Stygii obturans tria guttura monstri,
 Nec finit, ut tristi damnetur spiritus Orco,
 40 Tam longis numeris, tam crebro carmine tutus.
 Nec Latias tantùm Musas, quævis Arma virumquæ
 Pascuaquæ & segetes cecinit Maro, quævisquæ Tibullo
 Delia, & inconstans Nasoni dicta Corynna est,
 Grandisoni tentant vates. Jam scanditur Oeta
 45 Doricus, epoto jampridem Tibride, docti
 Turbantur latices Aganippidos Hippocrenes.
 Et sacer Ilissi torrens, quem Græcia quondam
 Illimem, ac purâ manantem viderat undâ,
 Sordidus & putris cœnosâ uligine torpet.
 50 Quiquæ thymo florens, cythisquæ insignis Hymettus
 Pindaricas saturavit apes, hinc stercora nostri
 Hirsutasquæ legunt vepres, & oleta Poëtæ.
 Scilicet & vastæ nuper trans æqvora Balthes,
 Oppositosquæ sinus Cimbrûm, Germana poësis,
 55 Ire peregrinas audax dum tentat in oras,
 Immites sensit Nereidas; æqvore toto,
 Et vento, & gravibus miserè jactata procellis,
 Illisa est scopulo, cœcis atque hæsit arenis,
 Quâ Mona aërios tollit cretacea cautes.
 60 Navifragam, fractæquæ ratis vix membra tenentem
 Excepit littus nudum; sed corpore toto

- Friget adhuc, redoletq; picem pingvesq; rudentes,
Sentinamq; gravem: liquidam vox rauca mephitim
Spirat, inestq; olidis, biberat quam, nautea rythmis
- 65 Quantis torminibus bilis mihi concutit alvum,
Quotque ciet vomitus, cum tales haurio versus,
Incautave manu tango! Meminisse, dolorem
Integrat, immensæ pretium periisse papyri.
Mercedemq; virum, prælo qui carmina formant
- 70 Ficos & tumidas ano factura mariscas.
Quid reliquum fecit nobis? quid grandius ultra
Barbaries inimica potest? Jam denique tædet
Plectrorum, citharæque pudet, si nulla laboris,
Nullaque nocturni referemus præmia olivi,
- 75 Quam risum & fannam populi! Quin protinus arte
Expedis ignotas, miser ô Phœbe? utque deinceps
Felix esse queas, multoque superbus honore,
Discito adulari Divis, effingere vultus
Socraticos, magnoque cliens palpare patrono.
- 80 Deferre advescas mendacia: teq; magistro
Innocuos carpat furtiva Calumnia mores:
Candorem lauda; sed cum te sancta loqvutur
Audierit populus, mox solo teste salino,
Impleto dominas occultus proditor aures.
- 85 Dixerat hæc Phœbus: tacitæ sedere sorores,
Attonitæque metu. Sed paulum à sede levata
Urania, & lacrymis manantia lumina tergens.
Talia voce refert: Tibi non injusta doloris
Causa sedet, meritasque, Pater, confurgis in ira
- 90 Sed tamen & nostram fata infelicia fortem
Exagitant, instatque pari discrimine damnum.
Nam quota pars hominum nulli parsura labori
Calce indefesso nostri fastigia montis

95

100

105

110

115

120

125

Ex

Exsuperat? quis Castalia se mergit in unda?

95 Quis curat, oculos non expletura capaces
Per studia, atq; inopes animum excoluisse per artes?

Unus divitibus Pluti qui crescit in hortis
Flosculus, ambrosiam spirans, panacea malorum,
Nepenthes vitæ, Rosa Nobilis, unicus ille est,

100. Quem plebs, quæ studio quæerunt ardente Quirites.
Cui nocturna inhiat nostri vigilantia secli.

At qui Pieriis sollers spatietur in arvis,
Et flores carpat, quos tempe Heliconia gignunt,
Rara nimis turba est. Plures penetralia rupis

105 Gorgoneæ, & sacri subiissent intima collis,
Indocti nisi dextra ducis, recti inscîa callis,
Et sese regere ignari, puerilibus annis
Incautam secum raperet per devia pubem.

Nec tamen hinc animis antiquum dogma regendis

110 Quod tenuere patres, penitus discedere iustum est:

Nec disciplina exilio est damnata: supersunt
Pristina Eleutheria, & multis imitabile ludis

Cecropium sua monstrat adhuc simulacra Lycæum,

At quantæ pueros pestes, quæ probra juventam

115 Exercent! quot sese ostendunt monstra scholarum,

Quæis ordo omnis abest, ubi res clamore potenti

Tantum agitur! Soles Petulantia cæca serenos

Occupat, inducias libris, nulla ocia præbens

Nequitia. Si trux aqvilis, aut nimbosus Orion,

120 Horâ post pulvis & falsamenta secundâ

Traxerit in classem, oblitos quid lectio poscat,

Et Stygia jurantes, permistum murmure planctum

Atque indistinctos confusâ voce susurros

Percussæ capiunt aures: examina credas

125 Crabronum, aut vespas ad pabula fœda ruentes:

Mitior in magno strepitus furit amphitheatro,
Cursori cum turba favet Qvi gutture vincit
Stentora, vimineos majori robore fasces
Qvi vibrare potest, tantoq; tonare tumultu,
130 Quanto percussis incudibus æra resultant,
Cum pelvim fingit furvus faber, ille brabæum
Promeruit. Nam quid didicit, nisi tendere virgam,
Nuper & acceptas cum fœnore reddere plagas,
Orbilius, barbâ referens & voce capellam?
135 Nempè horû huc ferulæ tendunt, ut verbere multo
Perfossas ingressa nates Sapiencia, stultum
Ad cerebrum curvâ per colum ambage feratur.
Unde ferant pretium, fulgentem divite censu
Suggestum, & decimis onerata altaria, dotem
140 Ancillæ, cujus thalamo parapherna parantur
Sacra toga, & duplicis consponsa opulencia templi.
Aut viduâ jaceant spondâ, nubantq;ve Sibyllæ,
Cui semper madido dependet stiria naso,
Cui secreta tegunt fugitivos scrinia dentes,
145 Perpetua & tussis gingivam nudat inermem.
Tum rixæ & tristi surgunt his jurgia lecto,
Si lateri parcant, nec, quantum prurit, anhelent
In cute rugosa, & lascivæ pellis hiatu.

Hæc fortuna manet viles sine stemmate lumbos
150 Qvos operit cento, & tunicæ velamina nigræ,
Qvos lac maternum suxisse penuria adegit:
At qvos nascentes contexit purpura, qvosq;ve
Thaide nutritos adnatis mille colonis
Et totidem vernis dives Lucina beavit;
155 Hi primis Eponam discunt jurare sub annis,
Præsepesq; animo, ac pingvem meditantur avenam.
Fulmineumq; decus lateri qvi pendeat, ensem,
Et

Et telum affatos missurum ad prandia turdos.
 Inde, juventutis primæ cum venerit ætas,
 160 Ac, præter libros, validum ferre omnia robur;
 Exoptata diu, votisque petita secundis,
 Quadrupedante ruunt alacres ad Equilia cursu.
 Tum demum genere hoc, & tanto sanguine digni
 Quod cives metuant. Stat flagro insignis & unco,
 165 Cornipedesque suos, Musarum ignarus Equiso,
 Insultare solo, & gressus glomerare superbos
 Edocet, arguto præiens poppysmate saltus.
 Pegasei fontes, Clariaque è valle corymbi,
 Et Pindi flores, & vatum insignia laurus,
 170 Huic foricas redolent, vel quod Marrenna pepedit.
 Sed lotii torrens, excretaque prandia pulcri
 Bucephali, myrrham, staetenque; & cinnama fragrant,
 Dulcia jejuno confortativa cerebro,
 Dum strigilim versat: dum titillatus adhinnit
 175 Discipulus, fundens postica didactra magistro.
 Artibus his Aurora favet, gratoque moratur
 Intuitu, donec decimo campanula pulsu
 Quassata ad piscem vocet intestina recentem,
 Ad far candidulum, & puri carchesia zythi:
 180 Cui pernae cuneus, cui bima supernatet halex
 In stomacho, langventi irritamenta palato.
 Quod superest lucis; pugilis schola densa periti
 Exhaust: Gallus potiores abripit horas
 Mirmillo, antiqvo melius docturus, ad Orcum
 185 Sternere subtilem, dignumque indagine callem.
 Ridiculum est, homines populari occidere ficâ.
 Aut stivâ costas, aut conto illidere calvam:
 Impius hoc miles, vel prædo novit avarus,
 Aurigæque leves, & filius Alphefibœi:

90 Artifice hinc opus est dextrâ, inconcessâqve vulgo
 Vis animi, studium longè sublimius optat.
 Ingenti pretio, & multo sudore parandum est,
 Ut discas mactare viros, & triste cadaver
 Carnifici fecissè manu. Tua gloria poscit,
 195 Heroum ô sanguis, totas impendere vires,
 Ut varias cædis species, & nomina discas,
 Temporaqve, & miros distorto corpore flexus:
 Quis tenor infidiis habilis: quæta linea guttur
 Transodiât, qualis pulmonem perforet ictus:
 200 Ut cadat hesternus docto sub vulnere amicus,
 Utqve queas audax in fortem arcessere pugnam
 Semideum socium, si quem tibi fecerit hostem
 Liberiorve jocus, spretive injuria potli.
 Hinc verus tibi surget honos, & gloria major,
 205 Quam quos pro patriâ, pro religionis avitæ
 Vindictis, dubiù juvat ire in prælia Martis,
 Non hos conductus Manes laudare sacerdos
 Venali tollet casos ad sidera lingvâ,
 Proclamans populo, & lachrymosâ voce recensens:
 210 Bis senos proavorum atavos, ab avûm qve parentes,
 Et longum à prisco deducens Teutone stemma:
 Verùm inhumata trahit Germanus viscera vultur,
 Ossa qve sanguineos sparsim disjecta per agros
 A Jove putrescunt, non ullo condita busto.
 215 Hoc apage; uberior laus & fortuna duello est:
 Si valvas animæ in fausto mucrone resolvit
 Discipulus melior, conscripti in vestibus atris
 Heroes proceresqve, & tristis turba Dearum,
 Inferias ducent, & Mausolæa parabunt:
 220 Egregium in tumba facinus leget invida tantæ
 Posteritas laudi; similesqve viriliter ausus

Mo-

Moliri, feros accendet fama nepotes.

Quamprimum gelidas generosa reliquerit umbra.

Corporis exuvias, non illam liantre profano

225 Portitor, asvetum timidus deposcere naulum,

Excipiet, nec quâ vulgus deducitur alno;

Puppe sed auratâ, multoqve nitente pyropo,

Cujus victrici fulgent carchesia lauru.

Cerberus Alciden ratus adventare, trifauces

230 Abscondet rictus; nullo prohibente capesses

Elysi silvas campi, sedesqve beatas.

I nunc, & dubita raptis ex anseris pennis

Lethiferum præferre enses, scissisqve libellis

Florem ævi stabulo, & celebri donare palæstræ;

235 Fortis aqualiculum discas ut tundere opimi

Athletæ, & sonet icæta tuo seps ferrea pulsu

Tecta hircæ, aut triplici pugnacis tergore tauri.

Interea tali dum fervet arena tumultu,

Dum certæ exercent juvenes præludia famæ

240 Atqve aliquis labrum, livens vibicibus, ungit,

Abstergitve genas, mistamq; cruore salivam

Exspuit, excussum quærens in pulvere dentem:

Impexus barbam, nullo comitante, magister

Ambulat ad cathedram, vacua lecturus in aula,

245 Et stultas miser ad subsellia nuda figuras

Scripturus: quis enim Doctori commodet aurem

Plebejo atqve inopi, & crassa atramenta cacanti?

Qui nil grande sonat; cui nunquã illustre verutum est

In manibus, nec quadrupedi dare novit habenas:

250 Sed cui multa latet tenui sub veste supellex,

Regula, & inflexum ducturus Circinus arcum,

Et qui nigra bipes dependet ad ilia Gnomon,

Atq; inscripta notis cerebrum turbantibus ingens.

Membranæ moles, & cretæ frustra bilibris.
255 Ille est qui radio tentat describere Mundum,
Et terras, tractusq; Maris, peregrinaq;ve regna;
Cum tenebras habitet miser, angustosq;ve penates,
Quorum nuda patet lentus per tecta Bootes,
Atq;ve Helice; imbricibus ruptis descendit ab alto
260 Jupiter, irroratq;ve arentes imbres libellos,
Et pluvia sphaeras, caelestesq;ve abluit orbes.
Hic tot myriadas, centenaq;ve millia pingit
In tabula, innumeræ numerum inventurus arenæ:
Sed pleni zephyrâ loculi vix quattuor asses
265 Inveniunt; fundo nummus suspirat in imo,
Et gemit è cista socias fugisse coronas.
Hæc sunt quæ nostrum, Præses Cyrrhæe, pudorem
Prostituunt, coguntq;ve gravi succumbere fato:
Hinc lacerae pallæ Musis, hinc conche tumemus
270 Exiguâ, & macræ haurimus vix iuscula mensæ.
Interea noster subrectas tollere cristas
Hostis amat: bis mille flagellatoris iniqua
Bupodis arca tenet minas; ter dena talenta
Aurea prædonis conscribit penna telonæ:
275 Et quos fama viros, meritæ quos gloria laudis
Evehit ad superos, vitâ dum puriter actâ,
Et multo capiunt sua præmia digna labore,
Indignus sequitur cœtus: sese improba miscet
Turba probis: non hos cœlû, aut mens conscia terret.
280 Quin voto ac tabulis tardantia fata priorum
Anticipent, rapiantq;ve augusti commoda census,
Quem Patrum pietas aris templisque dicavit,
Ut vitam hinc tolerent, & consolentur egeni
Fortunæ invidiam, viduisq;ve penuria mœstis
285 Sit levior, pauperq;ve habeat sua farra sacerdos:

Aut

Aut quos divinis consumpta laboribus ætas,
Jam rude donatos, merita ocia quærere cogit:
At quinam has eleemosynas, reditusque sacratos
Abripiunt? qui sunt hi circum alvearia fuci?
290 Vix pudor effari patitur: Subsellia fartor
Summa tenet: post hunc inflatis spondula buccis,
Et tergum læsus thraſo, fœmineuscq; fatelles,
Et spretos calcans, Parnassi transfuga, libros,
Heroasq; inter, doctrina & laude celebres
295 Confidet, ac valgis vix imperat ocia plantis
Præfultor choragus: dextram spado claudit anhelus,
Qui oculis fervans exsecta crepundia eburnis,
Et voce & facie jacturam prodit anili.
Vestam in marmoreo quondam curare camino
300 Doctus, & advectis ignem succendere silvis,
Vulcanigenitor, primam spectabilis urnam
Concutit, ac reliquæ repræhendit vota cathedræ:
Et nunc municipis rationes ponere villæ
Oeconomo mandat, nunc pontificalia lustrat
305 Prædia, distentam sancto numismate pellem,
Hibernosque boves referens, messemque beatam.
Quo tondente gravis concivi barba sonabat,
Jam canonas didicit, sacroque ex ordine tondet
Rura sua, & proprios, mercedem forficis, agros.
310 Sed ne forte putes, gratis hæc munera posci,
Aut segnem duci vitam, vacuumque labore:
Maximus his labor est, unctam curare culinam,
Et bibere à sexta præfixi limitis haustum,
Quem ratis advexit peregrina, & opinio præfert
315 Indigenæ, quamquam puros à fece liquores
Ac minus infanos patrium despumet ahenum.
Stat comes huic prægnans ardente fidelia Baccho,

Quod

Quod transmisisti generoso è palmitè, Rhene,
 Poclorum Rex Rhene, tuas nisi Seqvana vires
 320 Enervet, consors furtivi factus honoris.
 Hæc inter studia, & jam strata prælia mensæ,
 Prælia narrantur Regum, cædesq; virorum:
 Quæ fuerit victrix acies, quot Svecia turmas
 Miserit in campos Germanum; quicquid avarus
 325 E proprio finxit sibi bibliopola cerebro,
 Ut solita in sancto vendat ludibria templo.
 Adduntur passim tantarum obsonia rerum,
 Probra in caliculos, dirarum immania plaustra,
 Et servatricis renovata infamia mortis,
 330 Diaque blasphemis recrudescencia lingvis
 Vulnera, quæ valeant nugis adferre leporem.
 Sed leve id est, veniamq; meret, nam more recepto
 Sermonum appendix est, & mantissa loqvendi,
 Ejurare Deos: verborum hic flosculus, hæc est
 335 Nusquam in Rhetoricis descripta Figura libellis.
 Nulla fides modicè juranti. Si quis amicum
 Ore pio affari tentet; nisi Numina cuncta,
 Et cælum testes vocet, & penetralia Ditis,
 Nî Phlegethonta imum supremis temperet astris,
 340 Harpocrates elingvis erit, nec pluribus hiscet
 Quàm mæna, aut captæ Cimbrorum in littore conchæ.
 Septem Tisiphonas, & bis sex ora Megæræ,
 Milleque Cerberei fauces & colla molossi,
 Et quicquid pallens nunquam conspexit Avernus,
 345 Hæc jurat, caligas qui nondum passio sumpsit,
 Et cui mollis adhuc animus dignosse negavit
 Angves Eumenidum, aut recidivi pondera saxi:
 At quos judicii gravitate peritior ætas
 Imbuit, hi numerum ad digitos subducere norunt,
 Quot

- 350 Quot piceas habeant Acherontis flumina guttas,
 Quot crudo possint stabulari in viscere pestes,
 Quot teneat Stygias Holsatica tonna cohortes,
 Venturas votum, cum cara sororcula fratri
 Xaie' ait, aut neptem solatur avunculus ægram.
- 355 Sic juvat ad Canonas devotam ducere vitam,
 Sacratosque Deo curæ huic impendere nummos,
 Ut fremat omento, pingviq; abdomine venter,
 Viginti agricolas capiens & jugera centum,
 Hortosq; & patrios promptus forbere penates.
- 360 At nobis nemo tantum concedit agelli,
 Quantum talpa fodit, quod mus aret, unica quantum
 Brumali formica die consumere posset.
 Non erat hæc mundo facies, cum Roma videret
 Augustum, dignum sublimi Cæsare nomen;
- 365 Cum Mæcenatem felicia secula ferrent:
 Tunc comes ibat Honos, pariliqve pedissequa passu
 Gloria tendebat doctas profitentibus artes:
 Nec solæ endromides, adsutaq; lana lacernæ
 Segmentata auro, Sarranoqve ebria succo,
- 370 Grande viro pretium spretâ Virtute ferebat:
 Sed laudabatur simplex sine murice vestis,
 Antiquam referens speciem, prisicqve figuram
 Ostentans decoris; qualem Bœotia vidit,
 Harmoniæ castas iret cum Cadmus in ulnas.
- 375 Sartoris nunc dextra, novos effingere vultus
 Ingeniosa, avidas consumit nocte lucernas,
 Patribus ignotam capiant ut pallia formam,
 Et nunquam visis generetur abolla figuris.
 Aspice quàm longo cupiant procurrere lapsu
- 380 Ingentes caligæ, tenui ceu fistula cannâ
 Pressantes lumbum, spretâ coxendice, fines

Ultra hepar renesque ferunt, victumque lienem:
In caligis jam corda sedent; jam subligar alas
Occupat, ad jugulum paullatim & guttura tendens.
385 Ac veluti lento graditur gangræna meatu,
Secretasque trahit vires, sic perpete nisu
Utrimque occultâ properat serpigine bracca,
Hinc truncam ad barbã, atque inde ad calcaria reptans,
Nec secus ac dubio certant de limite regni
390 Finitimi proceres, seque urgent ancipe ferro;
Sic sese alterno vicini Marte fatigant.
Thorax & caligæ. Vix septima labitur æstas,
Cùm dominos fasces & regia sceptrâ tenebat
Augustus thorax: medii quâ prominet umbo
395 Corporis, hos illi dederat victoria fines:
Mutavit fors cæca vices. Jam Bracca triumphat,
Et victum, ac magna Thoracem parte minutum
Exiit imperio: triplex nec profuit ordo
Nodorum misero, aut ligularum exercitus ingens.
400 Sed fors tempus erit, sextæ post frigora brumæ
Cùm plures forfex impos effingere lusus,
Amissum trunco thoraci reddet honorem,
Cùm coxæ limbos reduces, atque ilia priscos
Accipient cinctus, rursusque abdomine laxo,
405 Liberiore pulex lætus saltabit in aulâ.
Rideat hæc aliquis. Sed bile tumentior atra,
Si faciem, & certa dispositas lege capronas
Aspiciat, meritò clamet Melicerta, perisse
Frontem de rebus: quoniam frons nulla relicta est,
410 Aut cerni metuit, læso perfricta pudore.
Quid dicat Proculus, si de ciniflone reversum
A tergo videat Rufum, vel pone sequatur?
Ornatam juret per Græca palatia Phrynen

Or.

Ornatam juret per Græca palatia Phrynen
Allectare viros: aut prisca ad moenia Trojæ
415 Peltato prodire ex agmine Penthesileam:
Sic fluit ad scapulas ferro crispata calente
Mollicies cirri; tam docto pectine fulget
In centum coma fracta gradus, intextaque portat
Symbola secreti nimium pretiosa favoris.
420 At ne fors errans quisquam, plana omnia credat
Infra ventriculum, tenuemque abscondere rimam,
Discrimen sexus de podice fluctuat ensis,
Cocchinaque impellit scabiosæ tegmina clunis:
Et lateri quondam sive pendere sinistro,
425 Nec pavidus fufum sub Marte haurire cruorem,
Idem nunc olidi pulsans spiracula follis,
Haurit postico fugientem è carcere Caurum.
Ambulat ansatus per compita perque plateas
Penelopes sponfus: volucris consistere nescit
430 Pluma loco, & pluma levius caput. Ecce sororem
Mittit in occursum lux prospera: mille salutem
Nuntia sublatus nudat calamistra galerus
Eminus: inflexo sinuantur brachia gibbo,
Indice fulgentem labris sistentia gemmam.
435 Longa pavimentum tunc radit linea; crebrò
Prolixos faciens planta strepitante decusses.
Qvot melle ac dulci condita papavere verba
Ore fluunt, toties, Tuus ô Galathæa minister,
Servitii promptus, seu Sol, seu Sidera poscant,
440 In mala aut scapulis tremulum micat, alite palma,
Inque vicem palpat: toties curvatur in arcum,
Qualis Atlas nutat magnæ sub pondere molis,
Aut Luna ostendit redivivi cornua vultus.

O vanas hominum curas! ô tristia secla!

445 Europæ prisca corrumpit Gallia mores,

Et vitia ære gravi, multoque redempta periclo,
 Fert reliquis terris, & cunctas fascinat oras.
 Præstinus hinc decrefcit Honos, & mafcula virtus,
 Atque animi fortes, invictaque robora bello:
 450 Inque locum fubeunt perjuriam, foeda libido,
 Fœminei comptus. Sint Gallica cuncta neceffe eft,
 Verborum ampullæ, patriæque infarcta loquelæ
 Gallica vox, non indigenis, non cognita civi:
 Gallica luxuries, & Gallica corde fimultas,
 455 Et fraus, & levitas: in corpore Gallica veftis,
 Et Galli ritus: mittit quoque Gallia spurcam
 Contagem, infvetasque per arma duellica mortes.
 Talia dum memorat commotâ percita bile
 Urania, ad Phœbum devenit epiftola, magnum
 460 Descendiffe virum ad fuperos, Venerique talentum
 Et mille in tabulis minas legaffe Lyæo,
 Atque obolos Mufis quinos, ut voce fonora
 Patricias laudes, & docta epicedia cantent.
 Illæ, ne tanti ferrent difpendia lucri,
 465 Currebant alacres celebrandi ad bufta patroni.



Pom

Vb 230

ULB Halle 3
003 649 385


Sb₁

W 17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

